



**P**ENINSULA hæc Noui Orbis, quæ tota ferè in Meridiè porrigitur, Africa & ingenti Pyramidi persimilis est, cuius basis propè Isthmum est ac versus Boream, quam quidem illa terra efficit quæ Hispanis Firma vocatur. Vertex seu cuneus sensim extenuatus ad Magellanicû definit fretum versus Antarcticum polum grad. penè 53. ab Aequatore dissidens. Orientale latus pulsatur vastissimo Oceano del Nort vocato. Occidentale verò ingenti clauditur itidem Oceano qui vulgo Mar del Zur, & Pacificum vocatur. Totius huius continentis Meridionalis circumnauigationem ferunt completi 16000 miliarium; cuius sanè Orientalis pars à Maragnone fluuio ad Argenteum vsque fluuium vulgo Rio della plata, Lusitanorum iuris est: reliquum Hispaniæ Regibus acquisitum est. In hac porro Orbis portione sunt continua serie à Borea ad Austrum expansi montes spectatæ Celsitudinis, ad quorum cacumina nec aues suo volatu ascendere queunt. ab his ingentes exoriuntur fluuij, qui ad vtrumq; Oceanum suas aquas mittunt: inter hos celeberrimi & magnitudine admirandi sunt Argenteus & Maragnon. Argenteus ab argenti copia sic dictus: is enim quacunq; tēdit, agros & incolas inexhausta argenti opulentiā afficit. Postea permultis influentibus annibus adauctus, in Oceanum del Nort ingenti ostio quadraginta leucarū amplo præcipitat. Maragnon quoque in immensam latitudinem ac longitudinem patefit: ferunt enim nauigatum fuisse sex millibus miliarium, eiusq; ostium 70. leucas completi. Est præterea hæc Noui Orbis pars auri & argenti miro prouentu beata, atque omnibus affluit rebus tam ad humanæ vitæ necessitatem quàm ad delicias. nec defunt in ea pretiosi lapilli. Multæ ac innumeræ in hac sunt regiones, quarum quædam cognitæ sunt ac satis exploratæ: nonnullæ verò vix nomen notum habent, quod vel ob eorum inopiam accidit, vel ob incolas bellicosos, terribiles ac indomites. Præcipue verò earum sunt Castella aurea, Peruuia à qua tota peninsula nomen trahit, Chile, & Brasilia, quæ ab Hispanis & Portugallensibus satis cultæ sunt. Castella aurea, vulgo Castiglia del ozo, totum occupat isthmum quo America huic Peruuia constringitur, cuius latitudo 18 leucas occupat. est autem malè habitata ac parum culta ob Cælum inclemens, & stagnantes aquas. duæ tamen in ea sunt celebres vrbes ac populo frequentes, iuxta vtriusque pelagi littora ad appellentium opportunitatem extructæ, licet infalubri & ipse potiantur aere, nempe Theonyma, vulgò Nombre de dios, quæ Mari del Nort: & Panamais quæ Mari Pacifico apposita est. & hæc quidem vrbes quæcunq; vel è Peruuia regione in Hispaniam deportantur, vel ex Hispania in Peruuiam aduehuntur, fido portuum hospitio excipiunt. Peruuia propria, totius vniuersalis Peruuie prouincia famosissima, à Peru fluuio nomē trahit, & detecta primum fuit anno 1525. à Francisco Pizarro, qui postmodo eius prouinciæ præfectus ordinatus plenè eā perlustrauit & occupauit. Diuiditur hodie in tres partes, in planitiem, in Sieras seu montaniam, & in Andes seu ultramontanam. Planities Peruuie iuxta maritimam oram expanditur miliaribus propemodum mille & quingentis (de Italicis hic loquimur) eiusque latitudo maior ad sexaginta miliaria accedit. Est autem hæc pars sabulosa, solitudinibus frequentibus deformis, ac maiore ex parte sterilis, præsertim cum nec vltos habeat fontes aut lacus, nec vllis imbribus aut pluuijs vnquam adiuuetur. Montana regio Peruuie longo extenditur tractu à Septentrione ad Meridiem mille circiter leucis, nec magis à Mari recedit quam 20. leucis. & aliquibus in locis minus. suntque hi montes admodum frigori obnoxij, in ijsque frequenter niues cadunt, nec arbores vtplurimum proferunt, vnde ignem ex terra quadam ad hoc apta incolæ fouent. Re-

periuntur



periuntur hęc leones, lupi, vrsi nigri, capreoli, & quoddam pecudum genus camelis si-  
 mile, ę quarum lana vestes gauissapi nas, & alia necessaria conficiunt. Continentur in-  
 ter hos montes multę amplę valles ac profundę, fertilissimę, ac populo numerosif-  
 simę, cüm aere potiantur calidiore. Et incolę quidem harum vallium cęteris huius  
 tractus ingeniosiores, animosiores, ac ciuiliores sunt. Andes sunt etiam montes, sed  
 continua serie producti absque vallibus, qui etiam ex Sept. in Meridiem incedunt.  
 Chile prouincia à Meridie Peruuie regionis iacet ad Mare Pacificum exposita, quę  
 ab incredibili ipsius frigore nomen adepta est. hęc autem pluuias, fulmina, & totius  
 anni mutationem sentit quemadmodum Europa. est que partim maritima, partim  
 montana, sed iuxta Mare aliquanto incalescit. Fert autem omnifariam fructus ex Hi-  
 spania allatos, & magnū mittit pecudum & struthionum numerum. Huius fluuij in-  
 terdiu decurrunt, noctu verò frigore penę gelati tardę ac debiliter incedunt. Incolę  
 proceri sunt, bene dispositi ac bellicosi, quorum arma sunt arcus & sagittę, eorum ve-  
 stitus ex animalium pellibus ac luporum marinorum fit. metropolis eius est D. Iaco-  
 bi vrbs, vbi nunc noua Hispanorum colonia coalescit. Brasilia regio inter duos ingē-  
 tes fluuios iacet, nempe Maragonem à Sept. & Argyreum (vulgo rio della Plata) à Me-  
 ridie & partim ab Occasu, à qua etiam parte ad altissimos Peruuie mōtes accedit, sed  
 ab Ortu vastissimo Oceano del Nort pulsatur. Hanc autem Brasiliam Americus Ve-  
 sputius Emmanuelis auspicijs accuratius explorauit, atque à duobus ab Aequatore  
 gradibus partibusq; ad gradus 45. in Austrum excurrens, trigoni oblongi speciē re-  
 fert, cuius basis in Aequatorem ac Septentriones obuersa ab Oriente in Occidentem  
 recta protenditur. angulus extremus ignotas ad Meridiem regiones attingit. latus in  
 Orientem spectans, interposito Oceano Hesperijs Aethiopijs obiacet. alterum latus  
 à Prouincia Peruana determinant iuga montium adeo celsa, vt ipsos auium volatus  
 fatigare dicantur, vno duntaxat, quod adhuc exploratum sit, eoq; difficillimo tra-  
 situ. Regio fermę tota imprimis amœna est, cęli admodum iucunda salubrisq; tem-  
 peries. Scatet ea tota fermę plaga fontibus ac syluis amnibusq; inclytis: ę quibus (vt  
 reliquos taceam) is quem Argenteum vocant, leucarum 40. ostio in Oceanum fertur  
 adeo violentus, vt inde nautę dulces hauriant latices priusquam tellurem ex alto cō-  
 spiciant. Terra partim in planitiem exspatians, partim in colles clementer assurgens,  
 felix præpinguibus glebis & riguo solo, temperq; vernante, credita semina multi-  
 plici reddit scēnere; & sacchari præsertim est ferax, quod cęleste donum A trico mel-  
 li longę anteferendum, proceris arundinibus condidit natura: ę quibus aquaria mola  
 dulcissimus humor expressus, in ahenis ad purum excoquitur. De huius &  
 reliquarum Peruuie prouinciarum mira fertilitate scribit Io. Pe-  
 trus Maffei. consule quoque Maginum, Bo-  
 terum, & alios.

